

vnitates: siam vnitas consequitur ad realitatem, seu consistit in ea prout est indivisa in se, & diuisa a qualibet alia; sed realitas cuiusvis personę est indivisa in se & diuisa ab alia: ergo sunt tres vnitates. Nec propter hoc debent dari tres quidditates: quia hoc nomen *quidditas* absolute & simpliciter significat essentiam, vt tradit D. Thomas in 1. dist. 25. quest. 1. art. 4. ad 2.

78 Colligitur *secundo*, quod ens non prædicatur pluraliter substantiue. Pro quo observandum est, quod ens potest sumi tripliciter: primo & præcipue prout significat existentiam, vt tradit D. Thomas in 1. dist. 25. quest. 1. art. 4. & ibidem ad Ann. Secundo prout significat entitatem, quę est principium essendi: in quo sentu Concilium Lateran. cap. 2. dixit, Patrem totam suam entitatem dedisse Filio: quod alij PP. docuerunt. Tercio quatenus significat entitatem prout contrapositam nihilo: quę significatio est minus propria præcedentibus, & non nisi cum addito potest illam significare. Corollarium hoc debet intelligi de ente duobus prioribus modis accepto. Et probatur breuiter ex dictis: nam ad multiplicationem nominis substantiui requiritur multiplicatio formatum; sed forma significata nomine *entis* duobus prioribus modis non multiplicatur in Deo, cum solum sit vnica existentia, & vnica essentia, quę est principium existentie: ergo, absolute & simpliciter loquendo, non potest admitti in Deo tria entia substantiua. Cum quo recte coheret, quod ens, prout opponitur nihilo, potest dici pluraliter substantiue, quia prout sic multiplicatur realiter, sicut realitas, persona, & relatio.

79 Colligitur *tertio*, in Deo non esse tria *aliquid*, prout est vna ex passionibus entis. Ita D. Thomas quest. 2. de *Potent.* art. 5. Ex cuius authoritate probatur: Nam *aliquid* in propria significatione idem est ac aliquid absolutum, & propterea distinguitur contra *ad aliquid*; sed prædicata absoluta non multiplicatur in Deo: ergo non dantur in Deo tria aliquid. ¶ Confirmatur: Nam *aliquid*, proprie loquendo, idem est ac *aliquid quid*; sed in Deo non datur, proprie loquendo, aliud & aliud, licet sit alius & alius, vel aliud & aliud suppositum, vbi ly *aliud* non sumitur proprie prout est passio entis: ergo &c. Videatur omnino D. Thomas loco citato.

80 Colligitur *quarto*, non dari in Deo nisi vnica veritatem essentialem & absolutam. Ita D. August. 8. de *Trinit.* cap. 1. vbi ait: *Trinum personarum est vna veritas*. Idem tradit Div. Thomas quest. 1. de *Verit.* art. 5. ad 18. ¶ Pro quo nota, veritatem esse duplicem: aliam formalem, quę consistit in actu intellectus, vel in adæquatione intellectus cum obiecto: vnde cum in omnibus personis datur idem actus intelligendi, plane sequitur, non dari nisi vnica veritatem formalem. In hoc omnes Authores conveniunt. Alteram transcendentalem, quę,

si est creata, consistit in adæquatione cum sua causa ideali: nam tunc est verus homo (v. g.) quando conformatur cum idea hominis existente in intellectu causę primę; & falsus, si ab ea disconuenit. Si est diuisa, nequit in alio consistere (vt ex se liquet) nisi in summa identitate cum proprio *esse*. Quapropter si omnes personę habent prorsus identificationem cum *esse* diuino, erunt prorsus eiusdem transcendentis veritatis. Quibus prænotatis.

Suadetur nostrum corollarium. Nam relationes diuine habent eandem omnino adæquationem cum *esse* seu existentia diuina, per quam indiuisibiliter existunt; sed veritas diuina consistit in hac adæquatione: ergo non est in illis nisi vna veritas transcendentis. ¶ Confirmatur: Veritas transcendentis vel fundatur in existentia, vel in eitate dicente ordinem ad existentiam, ita expresse colligitur ex D. Thom. loco supra relato; sed in Deo non datur nisi vna existentia, & vnica entitas dicens ordinem ad existentiam: ergo.

81 Sed obijcies *primo* cum Vazquez, & Suario: Pater est verus Pater, & non verus Filius, idemque proportionabiliter verificatur de Filio: ergo habent distinctas veritates. ¶ *Secundo*: Relationes diuine habent propriam immaterialitatem, cum non sint tantę immaterialitatis ac essentia diuina, vt tradunt N. Salm. tract. 3. disp. 3. a n. 36. ergo & propriam intelligibilitatem, & consequenter veritatem. ¶ *Tercio*: Nam veram præcedit ab existentia, vt constat in mathematicis & possibilibus: ergo ex eo quod relationes non dicant ex se ordinem ad existentiam, inepte colligitur non habere propriam veritatem. ¶ *Quarto*: Quia aliis attributa non haberent propriam veritatem, cum existant existentia essentia.

Ad primam obiectionem respondetur, quod sicut Pater est omnipotens Pater, & non omnipotens Filius, & Filius e contra, quia ex hoc arguatur, quod omnipotentia multiplicetur substantiue; ita de Patre potest prædicari, quod sit verus Pater, & non verus Filius, & de Filio e contra, quia ex hoc arguatur multiplicatio veritatis. ¶ Ad secundam respondetur, quod relationes esse habeant propriam immaterialitatem, hæc tamen non est illis, quę consistunt gradum, nec est principium essendi, sed reducitur ad immaterialitatem primariam diuine essentia. Veritas autem propria non fundatur in quacunque immaterialitate, sed in ea, quę constituit gradum per se, & est principium essendi.

Ad tertiam respondetur, quod ad veritatem propriam alicuius rei, sufficit, quod dicat ordinem signatum, vel speculativum ad existentiam propriam naturalem, quo pacto possibilis fundant existentiam, vel ordinem præcticum & exercitum ad existentiam propriam intelligibilem.

lem; quomodo sunt vera mathematicalia; & etiam possibilis; relationes verò diuine neutro modo.

Ad vltimam, quę longiori egobat solutione (misso modo dicendi aliorum) Respondetur, quod nec attributa, nec relationes habent aliam veritatem primariam nisi essentia, sicut nec aliam existentiam. Cum quo stat, quod attributa sint obiecta secundaria diuine intellectiois relationibus præstantiora: tum, quia sunt magis intima essentia: tum, quia ob propriam modum absolutam & ad se fundant aliqualem veritatem, sicut & bonitatem propriam saltem secundariam; quod relationibus repugnat.

82 Sed nota, hucusque nos locutos fuisse de multiplicatione nominis substantiui, aut in abstracto: nam ad multiplicationem nominis adiectiui non requiritur multiplicatio formatum, sed sufficit multiplicatio suppositorum, quia non appellat supra formale, sed supra materiale: vt si dicas, *ideo duo alba*, sensus est, *Video duo subiecta habentia albedinem*, essetque propositio vera, esse eadem numero albedo, in fer in duobus subiectis. Unde istę sunt verę, *In Deo sunt tres diuini*: idemque dicendum foret de hac, *Sunt tres omnipotentes*, aut *tres eterni*. Vide Summulas loco citato. Nec refert, quod Athanasius negat tres omnipotentes. Quia assumit nomen adiectiuum in vi substantiui: quod nonnunquam contingit, vt ait D. Thomas in 1. dist. 9. quest. 1. vbi tangit hanc scrupulam, & illum hoc modo dispellit.

Nec alienum erit ab hoc loco assignare aliam regulam pro prædicationibus diuinis necessariam, quam tradit D. Thomas infra quest. 39. art. 4. vbi ait, quod concreta essentialia, vt Deus, esse possint supponere pro personis, & de illis prædicari, illorum tamen suppositio limitatur, vt supponat aliquando pro vna tantum; vt in ista, *Deus generat*, quę supponit præcisè pro Patre; aliquando pro duobus, vt in ista, *Deus spirat*, quę supponit pro Patre & Filio; & aliquando pro tribus, vt in hac, *Regi seculorum: soli Deo honor &c.* quę supponit pro omnibus. In quibus attenditur ad terminum adiunctum. Nota tamen, hanc regulam non tenere in prædicationibus negatiuis: vt in ista, *Deus non generat*, quę absolute est falsa: quia, licet videatur supponere pro Filio, de illoque verificetur, nihilominus ratione negationis distribuitur, & totum negat.

Nec regula, quam statuimus pro concretis, debet verificari de abstractis: quia abstracta essentialia nequeunt supponere pro personis. Unde prædicatio hæc, *Essentia generat*, inquit Mag. Angel. loco citato art. 5. est falsa, & similis ei, quę prescripta est vt hæretica in 1. Concilio Tolet. per hæc verba: *Si quis dixerit, aut crediderit Deitatem esse nascibilem, anathema sit.*

Prædictis duabus regulis affinis est alia, & consistit in hoc, quod ea, quę conueniunt personis diuinis ratione solius essentia, & singulariter tantum dicantur, vt Deus, Ea, quę eis conueniunt ratione proprietatis, dicuntur præcisè pluraliter, vt persona. Tandem ea, quę conueniunt ratione essentia & proprietatis, partim singulariter, & partim pluraliter dici possunt, vt *res* quod nomen eque conuenit essentia & relationi: potest enim dici non dari in Deo nisi vnica rem, quia non datur nisi vnica substantia & essentia, & pro illa supponeret: possunt etiam dici *tres res*, quia tunc suppositio esset pro personis.

## DISPUTATIO III.

## De Personis Diuinis.



UIA personę diuine relationibus consistuntur, rectus ordo procedendi exigit, vt postquam egimus de relationibus, tractemus de personis ab ipsis relationibus constitutis. Sed vt excusetur à repetitione plurium ad intelligentiam personę satis conducentium, recolantur, quę docent N. Comput. abbrev. de *Gener.* disp. 15. ferè per totam, & præcipue à num. 4. quę amplius elucidant N. Salm. tract. 21. disp. 8. dub. 1. vbi plura de natura, substantia, & existentia accurate docent.

## DUBIUM I.

An ratio Personę reperiatur proprie in Deo? Quodnamque sit significatum huius nominis Persona diuina?

DUAS difficultates præfert titulus propositus, in quibus simul absoluitur duplex questio an est, & quid est personę diuine. Sed in limine huius disputationis oportet permittere definitionem personę in communi, illamque explanare.

## S. I.

## Expositio definitionis Personę.

Supponendum est, personam in communi recte sic defini: *Rationalis nature individua substantia*. Hanc definitionem, quę primò tradita est à Boetio, amplectuntur D. Thomas in præf. quest. 29. art. 1. & communiter Scholastici, maxime si ad maiorem eius explicationem addatur cum Richardo à Sancto. Victore alia particula, nempe *incommunicabilis*, seu *incommunicabiliter subsistens*.



Et probatur: Nam illa definitio est optima, que datur per proprium genus aut quasi genus, & per propriam & adaequatam differentiam aut quasi differentiam; sed præfata definitio personæ est huiusmodi: ergo est optima & ab omnibus recipienda. Minor probatur: Nam imprimis *Ly substantia* ponitur loco generis: quia per eam intelligitur substantia completa; & persona convenit eam secundis substantijs, & cum omnibus primis substantijs, quæ personæ non sunt, quales sunt substantiæ inanimatæ, plantæ & bruta. Deinde per eandem particulam distinguitur ab accidentibus, vt ex se liquet, & à patribus substantijs, sive sint integrales, vt manus, pes &c. sive physice, inter quas computatur anima rationalis propria substantia gaudens, quia illa particula communiter accipitur pro substantia completa. Per illam particulam *individua* distinguitur à secundis substantijs, quæ sunt genera & species, quia personæ non sunt. Et tandem per illam particulam *rationalis natura*, quæ accipitur hic pro intellectuali, quæ est communis divinæ, angelicæ, & humanæ, fecerunt à substantijs inanimatis, plantis, & brutis, vt per se patet: ergo prædicta definitio personæ traditur per proprium genus, aut quasi genus, & per propriam & adaequatam differentiam, aut quasi differentiam. Videatur D. Thomas quest. 9. de Pot. art. 2.

Confirmatur, simulque explicatur prædicta ratio: Nam illa definitio, quæ adæquate explicat naturam definiti est bona, & ab omnibus recipienda; sed præfata definitio est huiusmodi: ergo Minor probatur: Nam persona duo dicit: primum, quod sit substantia completa, & individua, non individuata ab aliquo extrinseco: per quod convenit cum omni prima substantia, & fecerunt ab accidentibus: siquidem hæc individuatur ex aliquo extrinseco, id est, ex subiecto. Secundum est, quod afferat naturam rationalem seu intellectualem: per quod distinguitur ab alijs primis substantijs, quæ personæ non sunt; sed utrunque continetur in prædicta definitione: ergo explicat adæquate naturam definiti. Minor solum indiget probatione quoad primam partem; nam illa particula *individua substantia* trahitur ad significandam primam substantiam, quæ à Grecis dicitur *hypostasis*, quæ supra singularitatem addit incommunicabilitatem, & excludit triplicem communicabilitatem, scilicet, per modum universalis ad inferiora, partis ad totum, & præcipue per modum naturæ iam individuatæ ad alterum vt suppositum, à quo sustentetur, vel terminetur: per quod distinguitur ab humanitate Christi, quia communicatur supposito Verbi; & à natura divina, quia licet sit substantia completa, individua, & subsistens, communicatur tribus suppositis: ergo totum, quod dicitur conceptus *persona*, clauditur in prædicta definitione.

Sed obijciens primò: Sicut accidens individuatur ab aliquo extrinseco, scilicet, à subiecto, ita substantia materialis, v.g. homo, individuatur ab aliquo extrinseco, videlicet, à quantitate: ergo nullum discrimen quoad hoc potest intendi inter substantiam completam & accidens. ¶ *Secundò*: prædicta definitio, secundum totum, quod dicit, convenit naturæ divinæ præintellectuæ relationibus, & humanitati Christi Domini: siquidem utraque est rationalis naturæ individua substantia; & nulla est persona: ergo prædicta definitio non est recta. ¶ *Tertio*: Nam persona ex suo conceptu formali est incommunicabilis alteri, vt supposito; sed hoc non explicatur in præfata definitione: ergo.

Ad primam obiectionem respondetur primò, permittendo antecedens; sed negando consequentiam. Et ratio est: quia substantia, quæ in definitione personæ ponitur loco generis, non est substantia creata, & multò minus substantia materialis tantumdem, sed substantia abstracta à creatura & increata, à materiali & spirituali. Substantia autem sic accepta non individuatur ab aliquo extrinseco, alias substantia divina & angelica id haberent. Unde sufficienter per illam distinguitur ab accidenti, de cuius ratione est secundum suum conceptum communem individuari ab aliquo extrinseco, nempe, à subiecto. ¶ Respondetur secundò, negando antecedens. Nam de ratione substantiæ materialis non est individuari à quantitate formaliter sumpta, sed ab ea vt præhabita; quod est idem ac individuari à materia, vt tradunt N. Complut. abbrev. de Gener. disp. 14. Porro ex hoc inferri ingen discrimen inter eam, & accidens: hoc enim secundum suam generalem rationem individuatur à subiecto formaliter sumpto, ac proinde ab aliquo extrinseco. Cæterum substantiæ materialis, eo ipso quod individuatur à materia prima, non individuatur ab aliquo extrinseco, cum sit pars intrinseca substantiæ completæ materialis.

Ad secundam respondetur cum D. Thomæ quest. citata de Pot. ad 12. argum. & ad 13. quod substantia, quæ ponitur loco generis in definitione personæ, non est substantia utcumque individua, sed que sit hypostasis; quæ pacto non est natura divina vt præintellectuæ relationibus nec humanitas Christi, quia hypostasis solum est ea substantia, quæ est incommunicabilis alteri vt supposito. ¶ Ad tertiam satis constat ex dictis, & ex ijs, quæ addit Div. Thomas ibidem ad 7. vbi ait: *Et sic illud commune* (id est, substantia prout communis primæ, & secundæ substantiæ) *per hoc, quod addatur individuum contrahitur ad hypostasim, vt idem sit dicere, substantia individua rationalis natura, ac si diceretur, Hypostasis rationalis nature.*

Hoc ita prælibato, gradum facimus ad du-

duplicem difficultatem propositam. Quas difficultates duobus §§. sequentibus resolvemus.

## §. II.

## Prima Assertio.

**D**icendum est primò, in Deo dari verè & proprie conceptum personæ. Conclusio est de fide, vt constat ex confessione fidei, quam scribit Damasus ad Paulinam: *Stiquis tres personas non dixerit veras, Patris, Filij, & Spiritus sancti, anathema sit.* Idem colligitur ex illo Athanasij in suo symbolo: *Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti.* Et definitur expressè in pluribus Concilijs, præcipue in Toletano 12. in confessione fidei, & in Lateran. vt reletur in cap. *Firmiter, de summa Trinitate.* Quibus accedit authoritas SS. PP. qui hanc veritatem catholicam semper tenuerunt, & intellexerunt cum omni proprietate.

Et probatur ratione: Nam persona est rationalis seu intellectualis natura individua, hoc est, incommunicabilis, substantia; sed hæc reperitur in Deo, ergo Minor probatur: Pater æternus est rationalis seu intellectualis natura, siquidem habet naturam divinam, quæ omnino immaterialis est, & consequenter intellectualis: est etiam individua substantia, hoc est, incommunicabilis, seu incommunicabiliter subsistens, siquidem est Filius, & Spiritus sanctus, & alteri supposito creato incommunicabilis: ergo omnia, quæ conveniunt conceptui proprio personæ reperitur in Deo.

Deinde probatur ratione D. Thomæ hic quest. 29. art. 3. Nam persona significat, quod est perfectissimum in tota natura; sed omne perfectissimum est ponendum in Deo: ergo conceptus personæ verè & proprie est in Deo. Minor constat: quia in Deo ponenda est omnis perfectio simpliciter simplex, qualis est illa, quæ est perfectissima in tota natura. Maior verò probatur: tam ex Div. Thomæ quest. 9. de Pot. art. 3. vbi ait: *Dicendum, quod persona significat quandam naturam cum quodam modo existentiam. Natura est omnium naturarum dignissima, scilicet natura intellectualis. Similiter etiam modus existendi, quam importat persona, est dignissimus, ut scilicet aliquid sit per se existens.* Ex quo concludit: *Cum ergo omne quod est dignissimum in creaturis, Deo sit attribuendum, convenienter nomen personæ Deo attribui potest, sicut & alia omnia, quæ proprie dicuntur de Deo.* Tum etiam: nam persona dicitur tot incommunicabilitates, quibus ab accidentibus & substantijs incompletis ex suo conceptu formali imperfectis incernitur; sed hoc nequit non importare maximam perfectionem: ergo persona dicitur quid perfectissimum in tota natura.

Sed obijciens primò: Natura specifica perfectior est quam persona: ergo persona non dicitur, quod est perfectissimum in tota natura. Antecedens probatur: nam persona de formali solum dicit personalitatem; sed hæc, cum sit modus, non est ita perfecta sicut natura, ergo natura specifica est perfectior quam persona. ¶ Et confirmatur: Nam persona significat personalitatem; sed hæc perfectionem non dicit: ergo persona non significat, quod perfectissimum est. Minor, in qua tantum potest esse difficultas, satis constat ex dictis disp. præced. dub. ultimo, siquidem personalitas in Deo est ratio, & hæc ex suo conceptu formali non dicit perfectionem.

Ad obiectionem respondetur, quod est, comparando naturam cum modo personalitatis, natura personalitatem excedat in perfectione; nihilominus includens utrunque, vt includit persona, quodlibet separatim excedit; sicut compositum ex materia, & forma est perfectius forma, licet forma sit perfectior materia. Et hoc sufficit ad intentum D. Thomæ. Adde quod quando Div. Thomas dicit, quod persona dicit, quod est perfectissimum in tota natura, non comparat personam cum natura, quam includit, sed cum suppositis aliarum naturarum, quæ non sunt personæ, & cum accidentibus; ita ut sensus sit, quod persona est excellentior omnibus illis.

Ad confirmationem satis liquet ex dictis loco citato num. 64. Nam quamvis personalitas non dicat ex suo conceptu formali propriam perfectionem, dicit tamen eam pro implicito duplici titulo & aliunde conducit ad insitam perfectionem essentis: & hæc sufficienter, vt persona explicet id, quod est perfectissimum in tota natura tam quoad ipsam naturam, quam quoad modum habendi eandem naturam.

Obijciens secundò: Nam si in Deo verè & proprie inveniretur ratio personæ, inveniretur etiam ratio hypostasis, quæ est idem cum illa: ex quo ulterius sequeretur, quod in Deo essent tres hypostases, imò & tres substantiæ, cum persona sit hypostasis & substantia; sed hoc est contra Hieronymum. In epist. ad Damasum, vbi ait: *Taceantur tres hypostases, & una teneatur: Nomen hoc non bonæ suspicionis est. Mihi credite: venerunt sub melle latet.* Et similiter ibidem ait: *Sufficiat nobis dicere unam substantiam.* ergo. ¶ Et confirmatur: Nam in Deo non datur nisi unum individuum substantiale; sed si in Deo daretur ratio personæ, darentur plura individua substantia: ergo non datur ratio personæ in Deo. Maior colligitur ex D. August. 1. de Trinit. cap. 6. Et minor probatur: Nam in Deo darentur tres personæ; sed quilibet persona est substantia individua, imò prima substantia: ergo.



Ad objectionem respondetur, quod de hoc nomine *hypostasis* fuit oim magna controversia inter Latinos & Græcos, an scilicet esset idem ac persona, vel idem quod *ousa*, id est, essentia: nam *hypostasis* in græco idem est ac substantia, que absolute stat pro essentia; de quo D. Hieronym. consulti Damascum Papam: & quia heretici voce illa quævocata simplices decipiebant, ideo dixit sub illa venenum latere. Iam verò, licet sedata, & significatione huius nominis *hypostasis* plene nota, pro eodem hoc nomen ac nomen *persona* usurpat universalis Ecclesia. Quod adeo certum est, vt oppositum sine nota saltem temeritatis asseriri nequeat.

Similiter licet absolute non sint concedende tres substantiæ, quia *substantia* absolute prolata significat essentiam, vt docet D. August. lib. 7. de Trinit. cap. 4. bene tamen cum addito restringente ad personam; vt loquantur idem D. August. in eodem lib. cap. 6. D. Hilarius, qui asserit se adfuisse cuidam Synodo, in qua concessum fuit dari in Deo tres substantias relatiuas: & tandem D. Thomas quest. 9. de Pot. art. 2. ad 9. quod alijs terminis solet explicari, nempe, quod denotat tres substantias, prout substantia opponitur contra accidens, non verò prout ab ea significatur essentia.

Ad confirmationem respondetur, concedendo mai. sed negando min. Et ratio huius est: quia individuum dicitur in recto naturam substantialem, & de connotato permittit incommunicabilitatem; sed persona pro formali & in recto importat perfectitatem incommunicabilitatis, & connotat necessariò naturam: Quare estò multiplicentur in Deo personæ, quia multiplicentur prædictæ perfectitates, non multiplicentur individua, cum natura Dei sit vna in tribus personis.

## § III.

## Assertio secunda.

**D**icendum est secundò; significatum directum & formale huius nominis *persona divina* esse aliquid relativum non sub munere referendi, sed sub munere subsistendi in se incommunicabiliter. significatum verò materiale & directum esse ipsum relativum secundum suum præcipuum munus *Ad*: & tandem significatum eius indirectum esse naturam divinam.

Pro cuius intelligentia, nota primò, duplex esse significatum alicuius nominis, aliud directum, & est illud, quod in recto significatur; aliud indirectum, & est illud, quod exprimitur ab eo in obliquo. Quæ omnia cernere licet in persona in communi, quæ in recto & indirectè significat substantiam individuum, complexam, & incommunicabiliter subsistentem, &

indirectè & in obliquo naturam rationalem, vt aperte deducitur ex eius definitione, in qua illa ponitur in recto, & ista in obliquo. Porro significatum directum aliud est formale: & est illud, quod expressè modo dicto significatur: alterum materiale; & est illud, quod tantum implicitè significatur.

Nota secundò, quod hoc nomen *persona divina* non sumitur in presenti ad modum termini complexi, sed ad significandum, quod in Deo habet conceptus solius personæ. Quæ potest sumi dupliciter, vel prout concipitur à nobis per conceptus confusos & imperfectos, estò Theologicos; vel quatenus concipitur prout est in se; seu per conceptus perfectos & magis distinctos, quos adhuc in via efformare possumus adiuti vera & perfecta Theologia. Igitur assertio non est intelligenda de persona hoc secundo modo accepta: siquidem vt certum supponimus, personam divinam hoc posteriori modo conceptam significare directè aliquid relativum secundum munus *Ad*, quia significat expressè totum id, quod in recto importat relatio; & certum est, quod relatio importat in recto *Ad*. Solùm ergo procedit assertio de persona priori modo accepta.

Et quoad primam partem est expressè D. Augustini lib. 7. de Trinit. cap. 6. vbi loquens de persona Patris sic ait: *Ad se quippe dicitur persona Patris, non ad Filium, neque ad Spiritum sanctum.* Quæ verba sic exponit suus fidelissimus discipulus D. Thomas in 1. dist. 23. quest. vnicæ art. 3. ad 1. vbi ait: *Dicendum, quod Augustinus attendit significationem personæ quantum ad modum significandi, & non quantum ad id, quod significatur. Et ideo quænam vis significatur relatio; quia tamen significatum per modum substantiæ, ideo dicit, quod significat substantiam.* Idem tradit D. Thomas in hac 1. part. quest. 29. art. 4. ad 1. his verbis: *Dicendum, quod hoc nomen persona dicitur ad se, & non ad alterum: quia significat relationem, non per modum relationis, sed per modum substantiæ, quæ est hypostasis: ergo nomen persona divina secundum D. August. & D. Thomam significat directè & formaliter aliquid relativum non sub munere referendi, sed sub munere subsistendi per se incommunicabiliter.*

Et probatur ratione D. Thomæ: Nam persona divina significat directè & formaliter substantiam per se subsistentem incommunicabiliter subsistentis per se in Deo est relativa: ergo significatum formale & directum huius nominis *persona divina* est aliquid relativum: Iam sic sed non sub munere referendi: ergo est aliquid relativum sub munere subsistendi per se, seu prout concipitur per nostros conceptus imperfectos ad se. Major est certa: & liquet in per-

sona in communi. Minor etiam constat: quia nullum prædicatum absolutum est incommunicabile. Ex quibus legitime deducitur consequentia. Minor verò subsumpta probatur: Nam personam divinam dum imperfectè concipimus, concipimus eam adinstar personæ creatæ, & prout æquivalere præcisè personæ creatæ; sed persona creatæ significat directè & formaliter substantiam vt subsistentem per se & ad se: ergo quamvis persona divina non possit directè & formaliter significare aliquid absolutum propter probationem proximè traditam, debet tamen aliquid relativum ad modum absoluti significare, hoc est, relativum vt subsistens per se.

Sed obijcies cum Scoto, Torres, & Molina, assertibus significatum huius nominis *persona divina* esse aliquid negativum. Nam significatum directum non est quid absolutum; alias non est quid relativum: ergo nõ est aliquid positivum, sed negativum. Minor probatur: alias sicut Pater dicitur *filij Pater*, etiam dici posset *filij persona*.

Respondetur, quod hoc nomen *Pater* est impositum ad significandum relativum sub munere referendi; sed hoc nomen *Persona divina* est impositum ad significandam personam ad modum absoluti; & ita licet Pater dicatur *filij Pater*, quia exprimit relationem ad illum, non verò potest dici *filij persona*, ob oppositam rationem. Ita D. Thomas 1. ad Anab. dist. 23. quest. vnicæ art. 2. ad 4. vbi ait: *Quamvis persona significet relationem, non tamen per modum relationis. Et ideo non refertur secundum nomen ad aliud.*

Quoad secundam eius partem probatur eadem conclusio: Nam illud est significatum materiale directum huius nominis *persona divina*, quod significatur in recto virtualiter & implicitè; sed relativum sub munere *Ad* significatur in recto virtualiter & implicitè: ergo *persona divina* significat directè materialiter aliquid relativum sub munere referendi. Minor probatur: Relativum sub munere subsistendi per se est formalissime idem cum conceptu *Ad*, quamvis per nostros conceptus imperfectos dividatur, & sicque virtualiter conceptus *Ad* adhuc per eisdem conceptus: ergo si *persona divina* significat directè & formaliter relativum sub munere subsistendi, debet etiam significare virtualiter & in recto idem relativum sub munere referendi.

Quoad tertiam partem est expressè D. Thomæ in præf. art. 4. vbi ait: *Et secundum hoc verum est, quod hoc nomen persona significat relationem in recto, & essentiam in obliquo.* Et probatur ex dictis num. 7. Nam *persona* vnicè significat in obliquo & indirectè naturam rationalem: ergo *persona divina* significat etiam indirectè & in obliquo naturam divinam, Confessio Pauli Theol. Salm. Tom. II.

quia eo modo significatur natura, quo importatur in definitione personæ; sed natura rationalis solum importatur in obliquo & indirectè in definitione personæ, vt recolenti definitionem personæ traditam à Boticio constabit: ergo *persona* vnicè significat indirectè & in obliquo naturam rationalem. Tum etiam: alias persona predicatur rectè de natura, & e contra: & ita hæc prædicatio esset recta, *Humanitas est persona*; sed hoc est falsum: ergo.

Sed obijcies: Essentia divina prædicatur in recto de persona; & ita hæc prædicatio, *Persona divina est Deitas seu Deus*, est recta: ergo significat in recto naturam divinam. Et confirmatur: Non minus proprie prædicatur de persona divina, quod est Deus seu Deitas, ac de homine quod est animal rationale; sed quia de homine prædicatur rectè, quod sit animal rationale, homo significat directè & in recto animal rationale: ergo etiam *persona divina* significat in recto & directè naturam divinam.

Ad objectionem respondetur, aliter dicendum, dum Deitas in abstracto prædicatur in recto de persona divina; & aliter, dum Deus in concreto prædicatur de illa. Nam estò verum sit, quod Deitas in abstracto prædicatur in recto de persona divina, solum est in sensu identico, inquantum nimirum natura includitur in ea per transcendentiã, non verò in sensu formalissimo, hoc est, inquantum natura includitur in persona formalissime. Vt autem esset prædicatum directum & in recto, requirebatur, quod de illa prædicaretur titulo huius posterioris modi. Quod verò Deus in concreto prædicatur in recto de persona, non arguit esse prædicatum directum illius: quia quicquid includitur in persona, prædicatur de illa in concreto, quamvis non sit significatum eius directum, ve liquet in his prædicationibus, *Homo est rationalis*, quod habet ab anima; *Homo est albus*, quod habet ab albedine; & certum omnino est, quod homo non significat in recto animam, materiam, aut albedinem.

Ad confirmationem satis constat ex dictis, Præterquam quod homo significat animal rationale vt significatum formale & directum; quod de natura divina relatè ad personam non potest dici.

Sed inquires: An *persona divina* significet directè relationem sumptam in abstracto? Ratio dubitandi est: nam *Deus* significat in recto & directè Deitatem: ergo etiam *persona* significat in recto & directè relationem. Antecedens videtur certum: nam hæc prædicatio est recta, *Deitas est Deus*, & e contra; quod non potest esse nisi *Deus* significet in recto Deitatem. Consequentia verò probatur: Ideo antecedens



est verum, quia Deitas est per se subsistens; sed etiam relatio est per se subsistens: ergo.

Nihilominus respondetur negativè, vt expresse tradit D. Thomas quæst. 9. de Pot. art. 4. his verbis: *Relationem significat, non vt relationem, sed vt relativum, id est, vt significatur hoc nomine Pater; non vt significatur hoc nomine Paternitas: sic enim relatio significata includitur in obliquo in significatione persone divine.* Et suadetur ratione: Nam nomen significans rem constitutam solum potest significare in obliquo formam constituentem vt talem sicut hoc nomen homo significans hominem constitutum per animam rationalem, solum in obliquo significat eam; sed relatio considerata in abstracto est forma constituens personam divinam in ratione talis: ergo hoc nomen persona divina solum in obliquo potest significare relationem consideratam in abstracto.

Ad rationem dubitandi respondetur, quòd Deitas potest considerari dupliciter, vel prout est nostro modo concipiendi distinguitur a Deo seu concreto, vel prout est idem cum Deo absque distinctione virtuali ex parte rei conceptæ. Si consideretur hoc secundò modo, non est dubium, quòd significatur in recto ab hoc nomine Deus; & in hoc eodem sensu relatio significatur à persona divina. Priori tamen modo considerata non importatur in recto Deitas à Deo, nec relatio à persona, & ob hanc rationem non significatur ut eis in recto, sed in obliquo in quo sensu intelligenda est resolutio nostra, vt prænotavimus num. 7.

## DUBIUM II.

*Utrum in Deo dentur tres subsistentie relati-  
væ, & una absolutæ*

14 **D**ubium hoc, sicut & præcedens duplicem complectitur difficultatem satis gravem, quam Thomistæ seorsum discutunt. Sed brevitati consulentes, & ob connexionem mutæ resolutionis vtranque coniungimus.

Vt autem titulus propositus pateat, & quid nomine subsistentie tam absolutæ, quam relative intelligatur: Observa, quòd subsistere nihil aliud est, quam habere esse per se; & quia modus essendi per se est triplex, triplex modus subsistendi potest excogitari. Primus ergo est improprius & latissimus, qui tantum petit non esse in alio tanquam in subiecto inhesionis; & hoc pacto omne, quòd distinguitur ab accidenti, dicitur habere esse per se seu subsistere. Secundus est proprius & strictus, qui petit talem modum essendi per se, vt non indigeat alio nec tanquam subiecto inhesionis, nec tanquam sustentante ad existendum, sed res, quæ sic habet esse per se, sit proximum susceptivum

existentiæ substantialis, quæ saltem ex nostro modo concipiendi distinguatur ab ea, existat vt quod, sitque principium quod operationum. Tertius est magis proprius & strictus, qui vltra proximè dicta addit incommunicabilitatem alteri vt supposito. Titulus dubij non procedit de primo modo subsistendi, cum certum sit omnia prædicata divina esse substantialia. Unde solum potest intelligi de modo subsistendi per se duobus modis posterioribus. Quod claritatis gratia in duas assertiones dividimus.

### §. I.

*Prima resolutio ergo subsistentiam absolutam.*

15 **D**icendum est primò, in Deo dari subsistentiam absolutam propriam naturæ divinæ, & ratione illius personis communicatam. Ita communiter Thomistæ. Et videtur deduci conclusio ex ijs, quæ fides docet: nam in symbolo Athanasij dicitur: *Deus Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus sanctus. & tamen non tres Dij, sed unus est Deus.* Vbi innuitur dari Deum tribus personis communem: ergo, cum Deus sit concretum, datur vnus habens Deitatem; sed vnus habens Deitatem est idem ac vnus subsistens in Deitate: ergo datæ subsistentia absoluta in hoc Deo communi. Nec opus est refellere evasionem Vazquezij, afferentis non dari Deum communem communitate rei tribus personis. Quia oppositus modus dicendi expresse habetur in Concilio Rhemenf contra Gilbertum, vbi dicitur: *Credimus, & confitemur, simplicem naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari, quin divinitas sit Deus, & Deus divinitas.* Id ipsum constare videtur ex epist. Agathon. Papæ ad 6. Synodum ad. 4. vbi dicitur: *Constituimus personarum vnâ subsistentiam.* Idem docent communiter Patres relati à N. Salmi. in præf. disp. 9. dub. 5. & de Incarnat. disp. 8. num. 24. quorum testimonia omittimus, vt ibi legantur. Solum adducemus nonnulla inter innumera D. Thomæ, qui nostram sententiam expresse docet: Nam quæst. 9. de Pot. art. 5. ad 13. sic ait: *In divinis proprietates personales hoc habent, quòd supposito distinguunt; non autem sunt principium subsistendi naturæ divine: ipsa enim est secundum se subsistens.* Item in 1. dist. 71. quæst. 2. art. 1. inquit: *Natura divina est in se habens esse subsistens, nulla intellecta personarum distinctione.* Tandem in 3. dist. 6. quæst. 2. art. 2. ad 2. ait: *In Deo ipsa essentia subsistens est. Unde sibi secundum se debetur esse: imò est suum esse subsistens.*

16 Et probatur ratione D. Thomæ: Nam si natura non afferret propriam subsistentiam ab-

## Dub. II. Utrum in Deo dentur tres subsistentie relati- væ, & una absolutæ

absolutam, Deo deficeret aliqua perfectio. Sequela probatur: nam esse independens à relationibus tanquam à sustentante per modum prædicati absoluti, esseque principium quod absolutum & proximum existendi, & tandem esse principium quod absolutum operationum dicit magnam perfectionem; sed si natura divina non haberet propriam subsistentiam absolutam, nihil horum habeset, vt ex se sequitur: ergo. ¶ *Roboratur:* Habere prædicta munia per modum prædicati absoluti in natura creata est magna perfectio: ergo assignandum est prædicatum divinum correspondens, & continens eminenter hanc perfectionem creatam; sed hæc perfectio nequit convenire subsistenti vt quod relative, cum relatio non afferat specialem perfectionem: nec naturæ divinæ; siquidem hæc carens propria subsistentia nullam prædicatum ex dictis potest habere: ergo aliqua perfectio deficeret essentia divine.

17 Respondet Vazquez, primò, quòd omnia illa munera non dicantur perfectionem vllam veram & realem in Deo (sicut illam dicant in creaturis) sed chimeram. Quia naturam divinam afferre propriam subsistentiam absolutam est involvere prædicata contradictoria, nempe esse incommunicabilem, & non esse incommunicabilem: quia ex parte quæ esset absoluta, esset communicabilis; & ex parte quæ esset subsistentia, esset incommunicabilis.

Contra est: Quia ad veram rationem subsistentiæ non requiritur omnimoda incommunicabilitas: ergo conruit tota solutio. Antecedens probatur: Tum, quia id satis habetur ex Concilijs, & PP. maxime ex D. Thomæ. Tum etiam: nam ad veram rationem subsistentiæ secundum suum conceptum primatum sufficit, vt res per eam subsistens non dependeat ab alio tanquam à sustentante, sitque existens vt quod, & principium quod operandi. Tum denique: nam ad subsistentiam divinam non requiritur, quòd sit incommunicabilis propriæ personæ, sed sufficit, quòd sit incommunicabilis supposito alieno, & quòd possit existere, & operari vt quod; sed natura divina pro priori ad relationes existit, & operatur vt quod, & nullo modo est communicabilis alieno supposito, quamvis sit communicabilis personæ divine: ergo nihil ei deficit, vt habeat propriam subsistentiam absolutam. *Explicatur:* Propter hæc humanitas terminata propria subsistentia non potest communicari alteri, vt supposito, sive proprio, sive alieno, quia subsistentia illa, vt pote finita, limitat illam, ne sit in alio supposito; sed subsistentia naturæ divinæ propria & absoluta est infinita: ergo quamvis reddat illam incommunicabilem alteri vt supposito alieno, secus verò personæ propro.

18 Respondet secundò Vazquez, permitendo, quòd subsistentia absoluta afferat secum

aliquam perfectionem: sed non quæ sit simpliciter talis, de cuius ratione est, quòd sit melior ipsa quam non ipsa: perfectio autem subsistentiæ absolute impediret aliam maiorem perfectionem, quia foret incommunicabilis, & ex hoc capite impediret communicationem naturæ divinæ tribus personis divinis, quæ est in Deo omnium perfectionum maxima. ¶ Sed hæc solutio manet satis impugnata ex dictis, quin opus sit aliquid addere.

19 Probaturn secundò ratione: Nam essentia divina intra propriam lineam est infinita, non esset infinita intra propriam lineam, nisi intra eam haberet propriam subsistentiam: ergo in Deo est subsistentia absoluta. Minor probatur primò: Quia natura creata est finita, indiget subsistentia realiter distincta: ergo vt natura divina sit infinita absolute, requiritur, quòd subsistat subsistentia realiter secum identificata; & vt sit infinita intra suam lineam, requiritur, vt subsistat subsistentia de linea essentia. *Secundò:* Quia natura divina est infinita intra suam lineam, est suam esse intra suam lineam, nisi hæc ratio probat, vt sit per se subsistens intra suam lineam: siquidem immediatum susceptivum quòd existentia intra lineam substantiæ est subsistens per se, seu vt quod: ergo vt sit infinita intra propriam lineam, desideratur, quòd habeat subsistentiam intra propriam lineam. *Tertio:* Nam quia natura divina est infinita intra suam lineam, petit esse suam operari ex vi suæ lineæ: ergo etiam intra propriam lineam debet esse per se subsistens. Patet consequentia: quia operationes sunt subsistentium, vt pronunc supponimus.

20 Respondet Vazquez primò, ad infinitatem naturæ divinæ sufficere non esse ab alio tanquam à causa, sicut ad limitationem naturæ creatæ sufficit, quòd sit ab alio tanquam à causa.

Contra est: Nam vltra requiritur, quòd non sit ab alio tanquam à ratione à priori, à quo quasi activè dimanet: ergo etiam ad infinitatem illius requiritur, quòd non dependeat ab alio tanquam à sustentante, quòd sit ratio posterior illius. Antecedens est certum: aliàs natura divina non esset fons totius Divinitatis. Consequentia verò probatur: Tum quia, ex eo quòd non dependeat ab alio tanquam à ratione à priori, rectè deducitur, quòd non dependeat ab alio hoc modo in existendo: ergo etiam deducitur, quòd non dependeat ab alio tanquam à sustentante. Tum etiam: quia indispensabilior est in qualibet re dependentia à suo principio efficienti, aut quasi efficienti, quam dependentia ab alio tanquam à sustentante à se realiter, vel virtualiter distincto: & ita suppositum creatum nunquam potest absolvi à dependentia à sua causa efficienti, quamvis possit absolvi ab alio velut à sustentante, vt tradidimus tract. de In-



*carum*. disp. 3. n. 42. ergo si natura divina non dependet ab alio tanquam à ratione à priori, à quo quasi active dimanet, multò minus debet dependere ab aliqua ratione posteriori, seu alterius linea tanquam à sustentante.

21 Respondet *secundo*, ad infinitatem naturæ divinæ sufficere, quòd identificetur realiter cum subsistentijs personarum, quin opus sit, quòd habeat propriam subsistentiam pertinentem ad lineam eiusdem nature.

Sed hæc evasio eisdem impugnationibus refellitur: Nam ad infinitatem naturæ divinæ requiritur, quòd sit suum esse & operari absque distinctione virtuali: & propterea asseruimus tract. 1. disp. 2. dub. 2. & 3. naturam divinam consilium metaphysice per intelligere actuale: ergo etiam requiritur, quòd sit suum subsistere absque distinctione virtuali. Patet consequentia: quia prius concipitur aliquid subsistere quam existere, & operari, eò quòd proximum susceptivum existentie in linea substantiali, & principium quòd operandi est subsistens vt quod.

22 Sed objicies: Ad infinitatem divinæ essentia sufficit, quòd identificetur realiter cum personalitate, & non requiritur, quòd ex vi suæ lineæ sit personata: ergo non requiritur, quòd ex vi suæ lineæ sit subsistens.

Respondetur, esse notam disparitatem inter subsistentiam, & personalitatem: Nam personalitas affert secum incommunicabilitatem alteri vt supposito sive proprio, sive alieno, & hæc ratione nequit convenire nisi predicato relativo. Ceterum ad veram rationem subsistentiæ non requiritur incommunicabilitas alteri vt supposito proprio, vt supra probatum est: sed sufficit, quòd non dependeat ab alio tanquam à sustentante, & quòd sit principium quòd existendi & operandi. Vnde quamvis natura divina non possit reddi personata intra propriam lineam, potest, & debet reddi subsistens ex vi propriæ lineæ.

## §. II.

*Alia ratio pro eadem resolutione.*

23 **P**ROBATUR *tertio* ratione, per quam præcedentes tororantur, confirmantur, & explanantur: Deus pro priori ad relationes est intelligens & volens, imò identificans intellectiōnem, tanquam aliquid propriæ lineæ; sed eo ipso nequit non pro priori ad illas intelligi aliqua subsistentia: ergo pro priori ad subsistentias relativæ datur in Deo aliqua subsistentia absoluta. Maior supponitur ex dictis loco proximè relato. Minor vero probatur: Nam omnis actio supponit principium quòd sui; sed principium quòd est subsistens: ergo pro priori ad relationes nequit non intelligi aliqua subsistentia.

Confirmatur: Essentia divinæ pro priori ad relationes convenit existentia vt predicatum essentiale: ergo est suum esse existens vt quod, pro priori ad illas; sed quòd existit vt quod, prius subsistit vt quòd: ergo pro priori ad relationes datur in Deo subsistentia absoluta. Antecedens supponitur ex dictis loco proximè relato. Et prima consequentia etiam liquet, ex discrimine inter existentiam creatam, & divinam: existentia enim creata, quia non est predicatum essentiale naturæ aut sup, obit creati, solum existit vt quòd, quamvis suppositum: ratione illius existit vt quòd: at si natura divina est suum esse absque distinctione virtuali, neque non existere tam vt quòd, quam vt quòd: ergo. Minor vero subsumpta probatur: Tum, quia immediatum susceptivum existentie est subsistens vt quod. Tū & præcipue: quia si existentia per se existit vt quòd, non potest dici, quòd est talis, quia est huius nature, sed quia est ipsum esse per se subsistens: ergo si essentia divina est per se existens vt quòd, etiam est per se subsistens vt quod.

24 Respondebis cum Vazquez tam rationi, quam confirmationi, ex illis vnum tantum probati, nempe, essentia divinæ convenire esse & operari vt quòd, quòd planum est; sed ad hoc non requiritur, quòd ei conveniat independentem à subsistentijs relativis; sed sufficit, quòd ipsa essentia pro illo priori intelligatur radicans ipsum esse, & operationem vt habendam in signo relationum, & quòd identificetur realiter cum subsistentijs relativis. *Maximè*: Quia non est adeò certum, quòd operationes sunt subsistentium, nisi tantum denominative.

Contrà est *primò*: Nam existentia & operatio sunt predicata absoluta Dei, cum sine communia tori Trinitati, imò pertinent ad lineam primordiale, vt prouocè supponimus: ergo conveniunt Deo pro priori ad relationes. ¶ *Secundò*: Nam in Deo non datur nisi vnicum esse absolutum, per quòd vnicè existunt omnia predicata divina sive absoluta, sive relativa; sed hoc per prius convenit essentia, quam attributis & relationibus: quia ratio id exigit, vt natura existat ratione sui, & attributa, ac proximè relationes, quæ sunt posteriores attributis, non nisi ratione naturæ: ergo. *Tertio*: In creatis id habet esse vt quòd, cui convenit per se primò vt quòd esse ab alio tanquam à causa, & hoc convenit naturæ substantiali subsistenti pro priori ad suas proprietates: ergo è converso id in Deo habet ratione sui esse vt quòd, cui convenit non esse ab alio tanquam à causa & tanquam à ratione à priori; sed hoc tantum convenit naturæ divinæ pro priori ad attributa & relationes: ergo. ¶ Confirmatur: Quia paternitas dimanat, aut quasi dimanat active vt quòd ab essentia, habet esse vt quòd: item quia Filius & Spiritus sanctus procedunt vt quòd ab alio tanquam à principio, habent esse vt quòd: ergo

po-

## §. III.

*Opinio contraria.*

postiori titulo id, cui convenit non esse ab alio tanquam à causa, nec tanquam à principio, nec tanquam à ratione à priori, habet esse vt quòd. ¶ Confirmatur vterius: Nam quia natura substantialis creata est, à qua procedunt per dimanationem realem proprietates, pro priori ad illas existit vt quòd; sed ætiora & paternitas dimanant per veram dimanationem virtualem ab essentia: ergo essentia divina pro priori ad attributa, & relationes existit vt quòd.

*Quartò & ultimò*: Si existentia divina non conveniret per se primò naturæ, sed personis, existentia multiplicaretur vel realiter, vel virtualiter ad multiplicationem personarum; consequens est falsum, ergo. Minor est certa ex dictis disp. præced. dub. 3. Maior vero probatur: Nam existentia multiplicatur ad multiplicationem susceptivi immediati illius: & propterea natura humana, quia non habet propriam existentiam, sed existit per existentiam suppositi, multiplicatur numero, dum est in pluribus suppositis: sicut è converso ex eo arguit D. Thomas quest. 9. de Pot. art. 5. ad 13. naturam divinam non multiplicari ad multiplicationem trium personarum, quia pro priori ad illas subsistit vt quòd: ergo si existentia divina per se primò conveniret personis, multiplicaretur ad multiplicationem earum.

25 Nec obest, quòd attributum misericordie (v.g.) non multiplicatur ad multiplicationem personarum. Tum, quia probabile est in via D. Thomæ: attributa habere proprias subsistentias, vt non obscure colligitur ex hijs, quæ docet loco proximè relato de Pot. ad 16. ubi concedit attributa habere subsistentiam, sicut relationes. Idemque innuit in hac 1. part. quest. 30. art. 1. ad 2. iuxta quòd duo colligenda sunt: Et quòd attributa non sunt formæ per se primò convenientes personis, sed sunt per se subsistentes sicut essentia; ideoque non debet attributum misericordie multiplicari ad multiplicationem personarum, sicut essentia. Et quòd spiratio activa, iuxta hanc doctrinam, affert secum suam propriam subsistentiam. Nec propter hoc datur in Deo quarta persona: quia spiratio activa est communicabilis Patri, & Filio; quòd est contra rationem persone.

Tum etiam: Nam licet probabilis sit, attributa divina non habere proprias subsistentias prius tamen conveniunt essentia per se subsistenti, & ratione eius subsistentia prius subsistunt, sicut ratione existentia illius prius existunt; & postea conveniunt personis: vnde non est mirum, quòd attributum misericordie non multiplicetur ad multiplicationem personarum. Aliter res acciderent, si attributa per se primò convenirent personis. Et ob hanc rationem diximus, quòd vel existentia divina convenit per se primò naturæ: vel opus est concedere, quòd multiplicetur existentia saltem virtualiter ad multiplicationem personarum.

26 **O**POSTAM opinionem descendunt Vazquez in præf. disp. 125. cap. 3. Arub. disp. 109. Lorca 3 part. disp. 14. & ex Thomæ Araujo tom. 2. Metaphys. lib. 7. quest. 2. art. 3. num. 11. Pro qua arguitur *primò*: Si natura divina haberet propriam subsistentiam, darentur in Deo quatuor persone, tres relative, & una absoluta. Sequela probatur: Nam subsistentia idem est ac hypostasis, seu persona, iuxta communem PP. & Conciliorum acceptionem, vt pluribus & diversis eorum testimonijs probat Vazquez, & possunt videri in N. Salm. in hoc tract. disp. 5. a num. 122.

Respondetur, omnes tam Conciliorum quam SS. PP. auctoritates vnam in hac materia habere solutionem, scilicet quòd subsistere potest bitarium accipi: vel quatenus dicitur modum habendi esse à se, & per se; quòd sanè est subsistere, sed non sufficit ad rationem persone: vel quatenus præter prædictam pericitatem vterius importat incommunicabilitatem; & sic est persona & hypostasis. Fatemur quidem Concilia, & PP. non raro accipere, seu intelligere subsistere in posteriori sensu. Sed cum expressè saepe loquantur de subsistere primo modo considerato, vt evidenter demonstrant eorum testimonia adducta num. 15. & alia peralta allegata in præf. a Salm. & Mag. à Sancto Thomæ non est, cum admittamus in Deo subsistentiam absolutam ab auctoritate PP. nec est, cur cogamur concedere quaternitatem personarum in divinis.

27 Sed objicies: Persona nihil aliud significat nisi subsistens in natura intellectuali, vt docet Div. Thomas quest. 9. de Pot. art. 7. ad 1. his verbis: *Nomine persone significatur subsistens in natura intellectuali*: ergo si natura haberet ex vi suæ lineæ propriam subsistentiam in Deo, esset persona pro priori ad relationes.

Et confirmatur *primò*: Nam etiam subsistentia relativa Patris (v.g.) relinquunt naturam communicabilem Filio; sed hoc non obstanti constituit personam: ergo etiam subsistentia absoluta relinquere naturam communicabilem: constitueret personam. ¶ Confirmatur *secundò*: Nam ex prædicta solutione sequitur administris, Deum antecedenter ad relationes esse semipersonam: quia etsi illi deficeret incommunicabilitas, quæ ad completum conceptum personæ, requiritur, haberet perfectitatem in existendo, quæ est vnum ex requisitis ad rationem personæ.

Ad obiectionem satis constat ex dictis numer. 1. & 2. cum eodem D. Thomæ, quod docet, nomine *persona* non significari quodlibet subsistens

silens



sistens in natura intellectuali, sed subsistens, quod sit hypothesis. ¶ Ad primam confirmationem respondetur, concessis præmissis; negando consequentiam, ob apertam disparitatem inter subsistentiam Patris, & subsistentiam nature. Nam subsistentia Patris in se est incommunicabilis Filio: reddique naturam alteri incommunicabilem vt subsistentem per eam: quia eo modo, quo subsistit in Patre. non communicatur Filio. Subsistentia verò absoluta nature & est communicabilis tribus personis, & natura subsistens per eam, eo modo quo subsistit per eam, communicatur illis. Et ita non debet constituere personam. ¶ Ad secundam respondetur, negando antecedens (cuius alij concedant) Quia sicut equus, ex eo quod participet rationem animalis, quæ est vnum ex prædicatis essentialibus hominis, non potest dici *semihomo*; ita dicimus in nostro casu. Et ratio est: quia essentia sunt indivisibiles & sicut numeri, quibus quodcumque addas, vel demas, solvitur species. *Maximè*: Quia non quæcumque perfectas in existendo est pars personæ, sed ea, quæ fundat incommunicabilitatem.

28 Arguitur secundo: Ideo natura divina haberet propriam subsistentiam absolutam, quia pro priori ad relationes datur *hic Deus*, qui est concretum Deitatis; sed hæc ratio non convincit: siquidem etiam in Deo datur *hic Spiritor*, qui est concretum spirationis activæ, quin spiratio activa ex vi suæ lineæ dicat propriam subsistentiam: ergo natura divina non habet propriam subsistentiam.

Et confirmatur primo: Deus pro priori ad relationes non est principium quod generandi, aliàs hoc conveniret Filio & Spiritui sancto: ergo nec est subsistens vt quod. Patet consequentia: quia id, cui primò competit habere esse vt quod, est principium quod operandi & generandi. ¶ Confirmatur secundo: Nam aliàs natura divina non posset concipi in abstracto; cum non possit concipi nisi vt subsistens.

Ad argumentum satis constat ex dictis num. 25. Nam si sequamur primum modum dicendi, quem teneant plures Doctores, & est probabilis in via D. Thomæ, hoc concretum Spiritor desumitur à subsistentia propria spirationis activæ. Si verò sequamur posteriorem modum dicendi (qui est probabilior) cogimur defendere, hoc concretum Spiritor esse Patrem, & Filium, seu hanc Deum ratione subsistentiarum relativarum, vel absolutæ; sicut hic Deus ratione subsistentiæ absolutæ est misericors, & iustus. Nec est par ratio de spiratione activa, & natura divina; sicut nec est de natura, & attributis.

29 Sed dices, ex hoc posteriori modo dicendi sequi vnum ex duobus, vel quod existentia non multiplicaretur virtualiter in Deo, cuius generaret per se primò personis: vel quod spi-

ratio activa multiplicaretur ad multiplicationem Patris, & filij: siquidem spiratio activa convenit per se primò his duabus personis.

Respondetur, negando vnum, & aliud extremum dilemmatis. Nec ratio ibi adducta convincit: Nam quamvis spiratio activa conveniat per se primò vt quod duabus prædictis personis, convenit tamen per se primò vt quo voluntas divinx: quia non intelligitur dimanare immediate à paternitate & filiatione, sed à voluntate; prout hæc connotat prædictas relationes: Vnde cum voluntas sit vna & indivisibilis in Patre & Filio, non est, cur spiratio activa multiplicetur ad multiplicationem eorum. Aliter res concineret, si essentia divina non haberet propriam subsistentiam: quia existentia conveniret per se primò tam vt quo, quam vt quod personalitatis divinx, eo quod subsistentia est immediatum susceptivum existentia; vtroque modo, & propterea debebat multiplicari ad personarum multiplicationem.

30 Ad primam confirmationem respondeatur, concedendo antecedens; & negando consequentiam: Nam ideo Deus pro priori ad relationes non est generans vt quod, quamvis subsistat vt quod, quia ad generandum requiritur oppositio relativa, quam non dicit subsistentia absoluta, sed relativa. Ceteram ad rationem subsistentiæ sufficit, quod sit principium quod operationum essentialium.

Ad secundam confirmationem respondeatur, falsum esse, naturam divinam non posse concipi in abstracto, esse habere propriam subsistentiam. Nam si concipitur imperfectè, prout ex modo significandi tantum concipitur à nobis in via, potest concipi, & non vt subsistens: quia hoc modo concepta distinguitur quodammodo natura à sua subsistentia. Imò est concipiatur, pro conceptus perfectos Theologicos, seu prout est in se, adhuc potest accipi in abstracto: quia formaliter eminenter habet esse vt quo, & vt quod, æquivalere humanitati in abstracto, & homini subsistenti vt quod.

#### §. IV.

##### Secunda resolutio quoad subsistentias relativæ.

31 Dicendum est secundo, personas divinas, præter subsistentiam absolutam & communem essentia, asserere proprias subsistentias relativæ. Hæc assertio est communis inter Theologos, vt potest videri apud Salmant. Et potest suaderi, sicut & præcedens, auctoritatibus desumptis ex Concilio, & SS. PP. Ex quibus primam desumimus ex 6. Synodo gener. act. 11. vbi dicitur: *Sancissima Trinitas numerabilis facta est personabilibus subsistentijs*. Idemque habetur in Concil. Ni-

GENO

#### Dub. II. Utrum in Deo dentur tres subsistentiæ relativæ, & vna absoluta?

cæno generali 1. & 2. nec non in Lateran. 2. approbato à Martino Pap. I. vbi subiicitur anathemati, qui non confitetur *unum Deum in tribus subsistentijs consubstantialibus*. Idem docet Athanas. lib. de Trinit. vbi ait: *Tres personæ confiteor, tres subsistentias, tria propria*. Eundem modum loquendi habent Ambros. in symbol. Apistol. cap. 2. & alij plures PP. quorum testimonia congerunt N. Salm. in præf. disp. 9. num. 61. & 62.

Et confirmat D. Thomas quæst. 9. de Pot. art. 2. ad 9. dicens: *Ad vitandum errorem non dicimus tres substantias, sicut tres subsistentias*. Et infra quæst. 40. art. 3. vbi ait: *Non enim proprietates personales sic intelliguntur advenire hypostasibus divinis, sicut forma subiecto, sed feruntur secum sua supposita, inquantum sunt ipsa persona subsistentes*. Idem repetit alijs in locis.

Ex quibus conficitur brevis hæc ratio: Nam de divinis relationibus debemus sentire, vt sumus edoçi à PP. & Concilijs; sed Concilia, & PP. vt vidimus, agnoscunt in Deo tres subsistentias distinctas, quæ, vt potest tales, non possunt esse absolute: ergo defectò præter subsistentiam absolutam dantur in Deo tres subsistentiæ relativæ.

32 Nec possunt Concilia, & PP. intelligi de subsistentijs in concreto, quasi velint dicere, quod in Deo dantur tres subsistentes; ad quod sufficit vna subsistentia personis appropriata; sicut omnipotentia vna dicuntur *tres omnipotentæ* adiectivæ.

Non (inquam) possunt hoc modo intelligi. Tum, quia eorum testimonia non est necessarium divertere ad improprias intelligentias, quando ex sincera & literali eorum interpretatione seu acceptione nullum sequitur inconveniens; quod certe non occurrit iuxta nostram assertionem constabit ex solutione argumentorum. Tum etiam: Nam in prædictis argumentis haud obscurè innotuit invenire in Deo tres subsistentes substantivè, siquidem asserant dari tres subsistentias; sed ad multiplicationem nominis substantivi requiritur omnino multiplicatio formarum: ergo. *Tum deinde*: Quia Concilia, & PP. ita adierunt multiplicari subsistentias, vt neptione multiplicari Deitatem, & attributa; sed tam attributa, quam Deitas, si fumantur in concreto & adiectivè, possunt prædicari pluraliter: ergo aliquid aliud existimant de subsistentijs. *Tum denique*: Quia vt multiplicentur concreta adiectivè, opus est, vt multiplicentur subiecta formæ; sed subiectum, quod denominatur vt quod in Deo à qualibet eius forma, est subsistens vt quod, sive absolutum sive relativum: ergo vel non dantur tres subsistentes adiectivè, vel dantur etiam tres subsistentes substantivè.

33 Probatur conclusio insuper ratione, qua

prædicta evasio simul efficaciter refellitur. Nam incommunicabilitas; quam persona Patris importat, debet fundari in aliquo positivo, cuius generaliter hoc conveniat cuilibet negationi, cuius conditionis est incommunicabilitas; sed non potest fundari in perfectitate absoluta, cum hæc potius fundet communicabilitatem ad intra: ergo debet fundari in perfectitate relativa: nam scilicet, sed omnis perfectas, maxime quæ fundat incommunicabilitatem, est subsistentia: ergo cum dantur in divinis tres incommunicabiles fundate iuxta numerum personarum, oportet dari tres subsistentias, supra quas fundentur.

Confirmatur, & declaratur prædicta ratio, & simul præcluditur tacita evasio. Nam illud positivum fundans in Patre (v.g.) incommunicabilitatem est ex vi propria lineæ principium quod actionis notionalis: sed principium quod actionis est subsistentia seu subsistens vt quod, & est persona, si est incommunicabile: ergo positivum illud, quod in Patre fundat omnimodam incommunicabilitatem, est propria subsistentia. Maior, in qua tantum potest esse difficultas, suadetur: Tum, quia principium quod actionis notionalis debet distingui realiter à termino qui, sed hoc nequit verificari de aliquo absolute: ergo principium quod est illud positivum fundans omnimodam incommunicabilitatem. Tum etiam: quia principium quod, & terminus qui mutuo sibi correspondent; sed terminus qui actionis notionalis non est aliquid absolutum, aliàs hoc produceretur, quod est hæreticum: ergo principium quod illius non est absolutum.

34 Roboratur amplius: Ratio formalissima & directè significata per hoc nomen *persona divina* debet esse subsistentia relativa, vt vidimus cum D. Thoma num. 7. sed in Deo sunt tres persone realiter distinctæ: ergo in Deo debent dari tres subsistentiæ relativæ. ¶ Hæc omnia firmari vterius possunt ex ijs, quæ docemus tract. de incarnat. disp. 3. Nam Verbum divinum reddit formaliter subsistentem humanitatem Christi Domini; sed non per subsistentiam absolutam: ergo per subsistentiam relativam & propriam. Maior videtur certa: siquidem Verbum divinum supplet, per id quod immediate terminat humanitatem Christi, subsistentiam propriam, viceque illius gerit. Minor probatur: Nam si immediate terminasset humanitatem ratione subsistentiæ communis seu absolute, omnes personæ divinx æqualiter fuissent incarnatæ, vt probamus loco citato.

\*\*\* \* \* \* \*  
\*\*\* \* \* \* \*



(g. V.)

## Adversarius sententiae:

35 **P**lures Theologi, vt Durandus, Scotus, Capreolus, D. Albertus, & alij relati à N. Salmant. in præf. disp. 9. num. 73. tenent, non dari in Deo tres substantias relativas. Et arguitur primò ex D. Thoma quaest. 8. de Pot. art. 3. ad 7. vbi ait: *Relationes autem in divinis, etiam constituant hypostasies, & sic faciunt eas subsistentes, hoc tamen faciunt, in quantum sunt essentia divina. Relatio enim, in quantum est relatio, non habet quòd subsistat, vel subsistere faciat: hoc enim solum substantia est. Idem reperit ad 9. his verbis: Relatio distinguit, in quantum est relatio: constituit autem hypostasiam, in quantum est divina essentia.*

Ad hoc argumentum respondetur, D. Thomam in predictis testimonijs intendere aliud longe diversum: Siquidem mens Div. Thomae tantum est, quòd relatio divina non constitueret personam, hypostasiam, & subsistentem, nisi esset identificata cum essentia divina, vt liquet in relatione creata, quæ nequit constituere subsistentem, eo quòd distinguitur à natura; & ita à natura habet velut à prima radice, quòd constituat personam. Cum quo stat optime, quòd proximè constituat personam subsistentem. *Maximè*: Quia in via D. Thomae id, quòd constituit personam, debet eam distinguere, vt videbimus dab. sequenti.

36 Arguitur secundò: Nam in Deo datur substantia absoluta, per quam per se primò subsistit natura, & per se secundò attributa & relationes: ergo superflua est in qualibet persona alia substantia relativa. Consequentia probatur: Tum quia ex hoc quòd misericordia in Deo est infinita in sua linea, nequit in personis dari, nisi vna misericordia; sed substantia essentia est non minùs infinita: ergo. Tum etiam: nam ad rationem personæ divinæ tantum desideratur natura, substantia, & incommunicabilitas: ergo si natura divina habet propriam substantiam, & ratione relationum addit incommunicabilitas, dantur omnia, quæ desiderantur ad rationem personæ, atque ideo superflua est alia substantia relativa. Tum denique: Quia N. Complut. abbrev. de Gener. disp. 15. à num. 44. docent, implicatoriam esse simultaneam plurium substantiarum etiam diversæ rationis.

Adde primò: Ideo in Deo datur vnica essentia absoluta, quia existentia essentia existentis personæ; sed etiam personæ subsistunt substantia essentia, vt tradit D. Thomas locis supra citatis, & præcipue quaest. 9. de Pot. art. 5. ad 3. his verbis: *Ipsa essentia divina est secundum*

*dum se subsistem; sed à converso proprietate: personales habent, quòd subsistat ab essentia: ergo etiam datur in Deo vnica substantia essentia. ¶ Adde secundò: Natura creata semel affecta vna substantia connaturali & absoluta, nec divinitus potest fieri, vt terminetur alia, sive sit absoluta, sive relativa, sive creata, sive divina: ergo si natura subsistit substantia propria, non potest ulterius terminari substantia alia relativa.*

37 Respondetur, concedendo antecedens & negando consequentiam. Cuius nulla probatio convincit. Non prima, propter notam disparitatem inter misericordiam, & substantiam: Misericordia enim non quit multiplicari in Deo, nisi multiplicetur obiectum eius formale, quòd est bonitas divina, vt est ratio sublevandi misericordiam; sed hoc ipso quòd sit infinita, respicit divinam bonitatem sub ratione sublevandi omnem miseriam: non ergo est locus in Deo alij obiecto misericordie, nec alteri misericordie. At substantia absoluta essentia non habet omnem exogitabilem perfectitatem; siquidem totam conferit naturæ, quòd sit ad se, ex cuius perfectione oritur, quòd sit communicabilis ad intra, & non constituat personam: vltra quam necessaria est alia perfectitas, quæ sit ad alium, fundans incommunicabilitatem, & constituens personam. Ex quo liquido constat, diversa esse obiecta formalia vnus, & alterius: quare datur locus in Deo alteri substantie relative. *Nec secundò*, propter dicta num. 33. Quibus potest addi, quòd incommunicabilitas non est prædicatum constitutum personæ, sed ortum ex prædicato illius constitutivo, quia est negatio. Et ita non qualibet substantia, sed fundans eam debet constituere personam: hæc autem nequit esse absoluta: ideoque oportet, quòd datur alia relativa. *Nec tertio*: Nam substantia creata estò foret diversa entitative, essentia tamen eiusdem rationis in terminando, & sic adinvicem se impedirent. At substantia absoluta, & relativa in Deo non solum sunt diversæ rationis entitative, sed in terminando, vt constat ex dictis. Unde non se impediunt adinvicem, sed potius vna cum altera optime coheret.

38 Ad primum additamentum respondetur, ex dictis disp. præced. dab. 3. quòd in personis divinis dari vnica existentiam non provenit præcisè ex eo, quòd existunt existentia essentia, sed ex eo quòd omnis existentia est absoluta, tribuitque formaliter loquendo eundem effectum formalem, nempe reddere rem extra nihil. At substantia absoluta nequit prætare omnem effectum formalem, quem habet persona divina: & ideo opus est alia substantia relativa. Per quod constat ad auctoritatem Div. Thomæ: Nam quamvis personæ habeant subsistere secundario & ratione essentia, substantia illius,

ips, ulterius requiritur, quòd per se primò subsistat alia substantia, quæ sit ad alteram, & fundet incommunicabilitatem.

Ad secundum respondetur, esse evidens discrimen inter substantiam creatam, & divinam: substantia enim creata, quia est finita, sua finitate limitat & finit naturam, ne alteri communicetur: Et hinc provenit, quòd tribuat ei perfectitatem independentem, & perfectitatem incommunicabilitatis. At substantia absoluta Dei, quamvis tribuat perfectitatem independentem; nequit tamen tribuere perfectitatem iudantem incommunicabilitatem: non alia ratione nisi quia est absoluta, infinita, & perfectissima, & propterea communicabilis ad intra. Vnde quamvis substantia creata non relinquat locum alteri substantie, bene verò substantia absoluta essentia divina.

39 Arguitur ultimum ab inconvenientibus: Nam ex nostra sententia videtur sequi primò, naturam divinam pendere, & non pendere ab alio: & esse per se, & esse in alio: Non quidem pendere ab alio, nec esse in alio: quia subsistit propria substantia: Pendere ab alio, & esse in alio: quia subsisteret substantia relativa personæ, cui communicatur. ¶ *Secundò*, naturam divinam esse subsistentem substantia propria, & non esse: Esse, vt supponitur: Non esse: quia vna substantia nequit reddi subsistens alia substantia: sicut nec vnio quæ vniri alia vnione, quia est essentialiter ipsa vnio.

Respondetur, nullum ex his inconvenientibus sequi ex nostra doctrina. *Non primum*: Nam imprimis, ex eo quòd natura subsistat subsistentis personarum, non sequitur esse in alio: siquidem personæ non sunt aliud ab essentia, sed ipsa essentia. Item *pendere ab alio* duo dicit, & quòd dependens distinguitur ab illo, & quòd in se non habeat, à quo sustentatur: Neutrum habet natura divina: non primum, vt ex se liquet: nec secundum, quia eo ipso quòd gaudeat intra suam lineam propria substantia, à seipsa sustentatur. Substantia ergo relativa solam tribuit naturæ iam subsistenti in se, ad se, & per se, quòd alio modo subsistat per se: in quo nullum est absurdum.

*Nec secundum*: Nam licet vnio, quia est essentialiter vnio, non possit vniri vnione eiusdem rationis in ratione formali vniendi, potest tamen vniri vnione, quæ sit diversæ rationis in ratione formali vniendi. Ita videmus, quòd linea est vnio partium superficiali, & simul vnitur substantie per aliam vnionem, quòd ideo contingit, quia hæc in ratione vnionis est diversæ rationis ab ipsa linea. Partimriter quamvis actio, quia est ipsum fieri, non possit produci per aliam actionem eiusdem rationis, potest tamen fieri per actionem divinam, quia hæc est diversæ rationis ab actione creata. Vnde cum substantia relativa sit in ratione formali sub-

Paul. Theol. Salm. Tom. II.

sistenti diversæ rationis à substantia absoluta essentia, non obest, quòd natura subsistat peritam, vt postea possit subsistere per illam.

S. VI.

## Dubiola quadam.

40 **I**mprimis inferitur ex dictis, in Deo esse tres personas, & non plures.

Hoc corollarium, præterquam quòd est de fide, vt potest statutum in Concilio Tolet. 1. & Later. vbi definitur, esse tres personas distinctas in Deo cum vnitate essentia, aperte colligitur ex hucusque dictis in hac disput. Nam in Deo tantum sunt tres substantie adinvicem incommunicabiles, videlicet paternitas, filiatio, & spiratio passiva: spiratio enim activa est communis Patri & Filio: item substantia essentia communicatur his, & Spiritui sancto; sed sola substantia prestant omnimodam incommunicabilitatem constituit personam: ergo in Deo sunt tres personæ, & non plures. *Rursus*: In Deo datur duplex processio, & non plures: ergo dantur tres personæ, & non plures. Antecedens satis constat ex dictis disp. 1. dub. 4. & 5. & disp. 2. dab. 2. Consequentia verò probatur: Nam qualibet processio petit principium quòd & terminum qui realiter distincta, quæ sunt propria personarum: ergo generatio, quæ est prima processio, petit duas personas, quarum vna sit producens, & alia producta: Item processio per voluntatem debet producere aliam personam: ergo sunt tres: Sed non possunt dari duæ personæ innascibiles & improduca, vt vidimus ex Hilario & D. Thoma disp. 1. dub. 1. ergo sunt tantum tres.

41 Inquires tamen primò: An in Deo proprie loquendo datur numerus transcendentalis personarum? Respondetur affirmativè, Nam vbi reperitur tres vnitates distinctæ, non potest non admitti numerus transcendentalis, qui in nullo alio consistit; sed tales vnitates reperuntur in Deo, vt diximus disp. præced. num. 77. ergo & numerus transcendentalis. Sublati tamen imperfectiobus quas numerus transcendentalis creatus importat, vt est compositio, & partialitas vnitatum: quia talis numerus est vnus per se, non per compositionem, nec per simplicitatem, sed per identitatem in eadem existentia; & aliis qualibet eius vnitas vna persona est tanta, quanta est tota Trinitas quantitate perfectionis, licet non quantitate extensiva & discreta: ad rationem autem partis erat necessaria inæqualitas in perfectione, vel quòd essent vnitates finitæ: quorum nihil reperitur in divinis personis, nec in alijs rationibus, in quibus talis natura reperitur. Quòd si PP. & Concilia alia quando omnem numerum negant in Deo, loquuntur respectu essentia & absolutarum

K

PRA



perfectionum, quæ non multiplicatur.

Nota tamen, quod termini numerales, quibus hic numerus personarum significatur, nempe vni, duo, & tria, nihil positivum addunt supra ipsas res, de quibus dicuntur, sed tantum negationem aut privationem, nempe indivisionem in se, & divisionem, seu identitatem cum alio.

42 Ex quo deducitur, quod hic triplex numerus personarum explicari debet nomine *Trinitatis*. Tum, quia in Deo datur numerus ternarius: ergo debemus uti nomine *Trinitatis*. Probatur consequentia: Nam quia in Deo datur pluralitas personarum, recte videtur hoc nomine ad eam significandam: ergo si etiam dantur tres personæ, recte possumus uti nomine *Trinitatis* ad eam significandam. Tum etiam: nam hoc nomen *Trinitas* secundum eius proprietatem significat magis numerum personarum in unitate essentiae, quam unitatem essentiae in recto, & numerum personarum in obliquo, ut docet D. Thomas in præf. quæst. 31. art. 1. ad 1. in 1. dist. 2. quæst. 2. art. 2. ad 2. ergo recte possumus uti nomine *Trinitatis*.

43 Sed non propterea possumus uti nomine *triplicitatis*, & Deum *triplicem* predicare, propter ea quæ Concil. Tolct. 11. tradit his verbis: *Dus non triplex, sed trinus dicitur, & creditur debet*. Quod potest suaderi ratione D. Thomæ loco proxime relato ex hac 1. part. in solut. ad 3. Nam nomina *duplex*, & *triplex* in propria significatione ipsi ab Arithmeticis imposita (quibus in hac parte stare debemus) important aliquid compositionis, vel proportionem inæqualitatis, summæ simplicitati & æqualitati repugnantem; quod non habent nomina *hæc Trinus*, & *Trinitas*, sed significant tres personas in unitate essentiae: ergo quamvis recte utamur nominibus *Trini* & *Trinitatis*, secus vero nomine *triplex* aut *triplicitatis*. Eadem ratione debent dici *duæ professiones*, sed non *duplex professio*.

44 Inquires *secundo*: An conceptus *persona* predicetur univoce de tribus personis divinis? Ad quod respondendum est negative. Quia ratio univoca est abstrahibilis à differentiis illam contrahentibus; sed ratio *persona divina* non potest abstrahi à particularibus personis: ergo non est univoca. Minor probatur: Tum, quia non potest dari perfecta abstractio vnius rationis ab alia absque distinctione virtuali; sed ratio *persona divina* non distinguitur virtualiter à ratione cuiuslibet particularis personæ, cum fiat de linea cuiuslibet personæ divinæ particularis: ergo ratio *persona* nequit abstrahi à particularibus personis. Tum etiam: nam si huiusmodi ratio posset perfecte abstrahi, vel esset genus, vel species: ergo posset dari in Deo compositio metaphysica ex genere & differentia, aut ex specie & differentia individuali; quod pugnat cum summâ simplicitate Dei.

45 Sed dices *primo*: D. Thomas 1. dist. 2. quæst. 1. art. 3. & ibidem ad Annib. potiusquam impugnatur sententiam dicentem rationem *personæ* dici analogam analogia proportionalitatis respectu trium personarum, asserit, quod est illis communis, sicut ratio *animalis* est communis homini, & asino: ergo noltra resolutio est contra D. Thomam. ¶ *Secundo*: Ratio *persona divina* æqualiter competit tribus personis, aliâ vna esset perfectior altera; sed de conceptu analogiæ est inæqualitas: nam ratio analogica debet esse partim eadem, & partim diversa in analogiis: ergo non est analogica, sed univoca.

Ad *primum* respondetur, D. Thomam non impugnare, quod persona divina dicatur analogice, sed quod sit analogica tantum per modum relationis rationis, vel secundæ intentionis, & non secundum rem, vel sententiam, quam impugnatur, assererat. Et ad hoc adduxit exemplum animalis, quod nullo ex dictis modis est ratio communis homini, & asino. Et hoc & non amplius S. Doctor intendebat, ut cum legenti constabit. ¶ Ad *secundum* respondetur, quod ad salvandam unitatem cum diversitate, requisitam ad communem rationem analogorum, satis est, quod ratio communis nequeat omnino à suis rationibus quasi differentialibus præcindi: nam hoc ipso talis ratio communis est partim eadem, & partim diversa; cum eademmet ratio, in qua conveniunt, necessario includat rationem differendi. Unde necessaria non est inæqualitas in perfectione, etsi in aliquibus analogatis talis inæqualitas detur ex suis rationibus particularibus.

46 Omnes tamen conveniunt in dicendo, personam divinam predicari de singulis essentialiter, & non tantum denominative, ut Vazquez voluit. Siquidem persona divina predicatur de singulis personis divinis, sicut individuum vagum de individuis particularibus: nam sicut individuum vagum significat in recto modum habendi naturam, & ipsam naturam in obliquo; ita *persona* significat in recto subsistentiam, & naturam in obliquo; sed individuum vagum dicitur essentialiter, & non tantum denominative, de individuis determinatis, ut liquet in hac prædicatione, *Petrus est quidam homo*: ergo etiam persona divina predicatur essentialiter de singulis.

Observa tamen, exemplum non tenere in omnibus: quia individuum vagum est univoceum respectu individuum in particulari, secus vero persona divina, ut supra diximus. Adducitur vero præcisè in exemplum quoad eam partem, qua dicitur, quod convenit essentialiter suis inferioribus, sicut poterit adduci in exemplum ad idem assumptum persona creata, que essentialiter predicatur de singulis creatis; & tamen dicitur de eis univoce,

Dub. II. Utrum in Deo dentur tres subsistentiæ relative, & una absoluta.

47 Inquires *tertio*: Quot sint notiones in Deo? Respondetur resolutorie, quod sunt tantum quinque. Et suadetur: quia *notionis* nomine intelligimus quasdam notas seu characteres, quibus vnam personam ab alijs cognoscimus fecerit; sed huiusmodi notæ sunt tantum quinque: ergo & notiones. Minor, in qua tantum est difficultas, dependet ex declaratione maioris. Etenim notio definitur à Div. Thoma hic quæst. 32. art. 3. *Ratio propria cognoscendi personam*. Vbi per ly *ratio* innuitur, quod debet esse aliquid, quod possit apprehendi per modum abstracti. Per ly *propria* significatur, talem rationem pertinere ad ordinem relativi seu originis. Sed nota, quod est id sit ordinis relativi, explicat tamen speciale munus intra hunc ordinem: siquidem relatio relatæ ad terminum explicat munus *Ad*, relatæ ad principium seu subiectum munus *In*, sed relatæ ad potentiam cognoscitivam explicat esse notionem. Et quia vniquodque communiter cognoscitur in eo, quod est illi excellentius, notio debet importare rationem quandam excellentiorem relativam. Ex quo ulterius fit, quod notio debet explicare dignitatem: quod mirifice declaravit Div. Thomas in 1. dist. 26. quæst. 2. art. 3. Hisigitur suppositis.

Probatur minor: Nam in divinis datur duplex processio, per intellectum vna, alia per voluntatem; sed quælibet ex his habet duplicem ordinem ex parte principij, & ex parte termini, qui ordines pertinent ad dignitatem, quibus adiungitur alia dignitas negativa: ergo in divinis sunt quinque notiones. Probatur & explicatur minor: Nam processio per intellectum dicit ex parte principij ordinem eius, à quo est alius, & hic ordo est paternitas, ex parte termini ordinem eius, qui est ab alio, & hic est filiatio: similiter ex parte voluntatis adest spiratio activa se tenens ex parte principij, & est communis Patri & Filio; & ex parte termini spiratio passiva, que est notio Spiritus sancti: Rursus in Patre datur alia expressio dignitatem arguens, nempe, esse ingentium, que expressio, licet sit negativa, explicat per circum locutionem, Patrem esse fontalem principium aliarum personarum, vel (ut certius dicamus) Patrem esse à se & per se per exclusionem omnis principij; quod maxima dignitas est: ergo &c.

48 Ex pluribus, que prædictæ resolutioni opponi poterant, seligemus præcisè aliqua, quæ eius maiori declarationi deserviant. Obijcies ergo *primo*: Si in divinis darentur notiones, quas diximus esse rationes cognoscendi relationes, darentur plures veritates obiectivæ, cum veritas obiectiva sit fundamentum veritatis formalis; sed in Deo non dantur plures veritates obiectivæ, ut docuimus disp. præced. num. 80. ergo. ¶ *Secundo*: Sicut Pater est ingentus, ita

Paul. Theol. Salim. Tom. II.

Filius est inspiratus, & Spiritus sanctus non genitus: ergo si illa negatio in Patre sufficit ad notionem, etiam illæ. ¶ *Tertio*: Si notio dignitatem fundat, Pater non poterit communicare propriam dignitatem Filio, sicut nec proprias notiones: quod est inconveniens reiectum disp. præced. dub. 4. ¶ *Quarto*: Filius potest apprehendi sub ratione filij, sub expressione *verbi*, & sub expressione *relati*: cur ergo hæc expressiones non fundant diversas notiones, si in Patre ordo ad Filium, & esse ingentium fundant duas notiones? ¶ *Quinto*: Sicut paternitas & filiatio significant personas, sic generatio & nativitas: ergo sunt etiam notiones, sicut illæ.

Sed hæc levia sunt. Nam ad primum constat disparitas ex alibi dictis. Veritas enim sumitur per ordinem ad esse. Quando autem dicitur, quod notio est ratio cognoscendi personam, est idem ac dicere, quod supposita cognoscibilitate, quam ab essentia absoluta habent personæ, ipsa invenitur in illis aliquid speciale, cognitum tamen ratione essentivæ: quando autem aliquid cognoscitur ratione alterius, non est necessesse, quod fundet novam veritatem obiectivam; sed sufficit illam prioram quodammodo modificare, ut dicitur specialiter cognitum saltem terminative. ¶ Ad secundum dicimus, illas negationes repertas in Filio & Spiritu sancto non arguere dignitatem: siquidem plures creature sunt ingentia; & omnes non spirant, qui ex hoc dicantur specialem dignitatem habere: At negatio omnis principij, quam ly *ingentus* in Patre significat, in nullo alio præter ipsum invenitur, & sic constat disparitas.

Ad tertium dicimus, quod sicut Filius habet eandem naturam & perfectionem à Patre, quin eam habeat eodem prorsus modo ac Pater; ita accipit omnem eius dignitatem dicentem de formali perfectionem, habendam tamen diverso modo ac est in Patre. ¶ Ad quartum respondeatur, quod omnes illæ expressiones fundant vnicam dignitatem, & concurrunt ad vnam rationem, quia sunt Filio inadæquatæ: Esse autem ingentium, cum sit notio negativa, & quasi conceptus secundarius, potest fundari supra paternitatem quasi vna dignitas supra aliam. ¶ Ad vltimum respondetur, quod nativitas & generatio non significantur in esse quieto, ideoque non sunt aptæ ad constituendum notiones; quidquid sit, quod eas integret ut quid in adæquatum.

